

FRATER CHERUBINA NVCIBVS PRōÆ PARISIENSIS  
COMM<sup>us</sup> GNRLIS NEC NON BARIENSIS VIC<sup>us</sup> PRōLIS

( 167 )

**F. F. CHERUBINUS A NUCIBUS.** Concionator, vix decimumquintum adolescentis ætatis annum attigit, cum in Capuccinorum familia divine seipsum servitum mancipat, ubi Fratrum colloquia fugiens, solitudinem innocentiae quærebat amicam. Hinc angelica mentis puritas, honestatis candor, Regularis disciplinae rigor, senuum mortificatio, hinc Gula praefertim interitus in ejus animo pullulabat; ita ut multorum annorum spatio, a carnibus, ovis, & lacticiniis omnino abstineret. Ad Provincialatum assumptus, virtutibus præfuit, quod profuit viva lucerna Fratribus. Ab omni rerum provisione abhorrens, cum præ itineris molestia, & jejuno quadam tempore desiceret, nihilque, quo vires instaurari possent, adesset, arbori paululum innixus, post brevem orationem, pane candido a Domino meruit confortari. Altissimæ paupertatis zelator eximus, nunquam, nisi unica, & obsoleta veste, obsoletis denique omnibus, & interpolis utebatur. Chori studiosissimus, tanta animi pietate divinis laudibus incumbebat, ut nonnunquam locum suavi odoris fragrantia redolentem reliqueret. Aliquando SS. Misæ Sacrificio tanta attentione intererat, ut, corpore sursum evecto, non animo tantum, sed & carne præ nimio charitatis æstu in Deum transferri velle videtur. Oratione sedulo intentus, in eam plerumque sensibus excedebat. Apostolico spiritu dum Madurii Dei verbum disseminat, bis nomine IESU invocato, hirundines garentes, quas invidus Satan in Ecclesiam, ne intelligeretur, immiferat, ita fugavit, ut deinceps nunquam ibidem visæ fuerint. Dæmones etiam, qui Civitatem Andrie acriter vexabant, in Christi nomine Urbe egredi compellit: qui ipsius imperio parentes, ad Monasterium quoddam Monialium con-

fugient, easque variis modis infestabant, quibus cum B. Virginis Litanias indixisset, ibidem quoque eos expulit. Nunquam Cherubinus, nisi post longam orationem, ad prædicandum suggestum concidebat, in qua plerumque corpore in aera terebatur. Triciani noctu in cubiculo orans, ab hospite cubito altius e solo sublatus cernitur, hinc plurima luce perfulsus nonnunquam futura prædicebat. Nonnulla quoque ab eo miracula patrata leguntur. Mulieris cuiusdam filius strumis graviter laborabat; quæ cum virum Dei S. Mysteria offerentem, in sublimi elatum confixisset, nonnullas ex illius habitu fimbrias præscindens, filii collo eas postmodum appendit, quarum virtute brevi convalevit. Per Salentinos iter faciens, paupercula mulieris inopiam, binis malogranis coelitus acceptis, benigne sublevat. Post hæc die obitus sui prænunciato, Aquævivæ supremo morbo corripitur. Rumore autem de desperata ipsius valetudine per Oppidum diffuso, plebs agminatim ad Virum Dei confluit, ipsius ante mortem benedictione frui contendens. Cumque ad octavum ægritudinis diem integris sensibus perverisset, imminente fui transitus hora, Christum Dominum clarissima luce circumfulsum ad se venientem conspicit, his illum verbis compellens: Cherubine, jam veni mecum; Cui Cherubinus confitit: En Domine, libenterime venio, sicutque obdormivit. Post illius obitum suavissimus ex illius ore odor diffundebatur; caro quoque mollis, artusque flexibilis, dormientis potius, quam mortui speciem referebant. Habitus illius particularum cum mulier quedam a Nucibus gravissimis partus doloribus diu cruciata collo appendisset, protinus salsa masculum peperit. Post aliquot etiam menses aperto sepulcro, suavissimus ex illius corpore odor emanare percipitur. Obiit Vir sanctus An. 1592.